



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Practici Tractatus, De Legibus

Marchius, Ewald

Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661

Cap. VI. An Lex naturæ sit una apud omnes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42256

statuimus ea agi debere , aut cognoscentes , esse mala . seu natura nostra dissentanea , minime que congrua , statuimus debere vitari . Quod Judicium , quatenus est à Deo , qui indidit nobis Naturam , secundum quam , ita iudicaremus , rationem habet LEGIS , seu Regulæ re- & tè vivendi , nobis à Deo impositæ . Reginald in Praxi fori pœnitentialis lib . 13 . tract . 2 . in Proëmio . Juxta illud Psal . 4 . Signatum est su- per nos , lumen vultus tui , Domine .

Plura quidem sunt præcepta LEGIS Na- turalis , quæ tamen omnia , aliquo modo fun- dantur in uno : Quod bonum sit faciendum , & malum vitandum . Ita S. Thomas . 1 . 2.q . 94 . art . 2 . nam omnia naturæ præcepta radi- cantur in eo , quod bonum sit faciendum & prosequendum , & malum vitandum , ut scili- cet , illa omnia facienda , aut vitanda , perti- neant ad præcepta LEGIS Naturæ , quæ ra- tio practica , inquit D. Thomas q . 94 . art . 2 . naturaliter facit esse bona humana .

C A P U T VI.

An LEX Natura sit una apud Omnes?

L EX NATURÆ , quo ad prima & ge- neralia , principia rationis practicæ , est una , & eadem apud omnes , tam quoad recti- tudinem , quam quo ad notitiam . Est Divi Thomæ

38 Nucleus Tractatus practici

Thomæ hic: Semper enim, & ubique, Homines agnoscunt, & judicant, bonum esse præferendum, malum fugiendum, convenienter secundum naturam Hominis, esse vivendum, quia ejusmodi principia ingerit ac demonstrat, per se ac evidenter, naturale lumen intellectus, quod est, veluti proprietas consequens, non rationem propriam alicuius individui, aut alicuius Gentis, aut Nationis, sed specificam naturam hominis, quæ eadem est in omnibus.

Unde manifestius est, LEGEM Naturæ, esse eandem apud omnes, si accipiatur, non pro aliquo actuali Judicio rationis practicæ; sed pro illo principio, in quo veluti in habitu, continetur illud judicium, scilicet pro intellectuali lumine, pro quo dictum supra: LEGEM Naturæ aliquando, nec inconvenienter accipi.

Quo ad propria vero quædam, & particuliaria Præcepta, quæ ex locis illis deducuntur, non est LEX NATURÆ, omnino eadem semper, apud omnes, neque quo ad notitiam, neque etiam quo ad rectitudinem, quamvis bene; ut plurimum, eadem sit quia, redditum esse depositum, est præceptum LEGIS NATURÆ, & tamen aliquando incidit casus, quo non esset rectum, sive rationi consonum,

fōnum, reddere depositum : V.G. ut Patriam impugnet : Non autem, esse eandem, quo ad notitiam, patet : quia rectum Judicium, in rebus agendis, circa particulares, & specificas notiones, sāpius impeditur in multis, sive passione, sive mala consuetudine, depravante, aut obscurante rationem : Sic quod bonum, & honestum, non videant, aut videre nolint. Unde factum est, quod diversae Nationes, & Gentes, habuerint aliquando varias LEGES, ipsis Præceptis Naturæ contrarias. Ut refert D. Hyeron. li. 2. contra Jovinianum, & Theodoretus libro 9. Græcanicarum curationum.

C A P U T VII.

*An Lex Naturæ mutari, vel in ea dif-
pensari possit; & an ἐπικεία in ea
locum habeat?*

Distinguit D. Thomas duplēm modūm, quo potest intelligi, fieri circa LEGEM mutationē: nam potest intelligi, fieri per quandam additionē, & potest intelligi, per modūm subtractionis, sive defectio- nis.

Quod ad priorem modūm attinet, certum est, nihil omnino prohibere, sic LEGEM Naturalem mutari, quia multa superaddita sunt,
supra: